

tatis disciplinæ doctrix, non dampnavit, & quos tumultuantes, atque dissidentes componere, fedareque fatius foret, eos indifferetæ devotionis obtentu, vel potius loquacitatis, & ostentationis affectu, studio partium, ad tumultus, similitateque concitare;

Prædicatorum omnium, & singulorum temeritati, popularumque scandalo occurrere studentes, præsentibus his nostri Edicti Literis statutimus, & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, ut nemo, cuiusque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in Concionibus, Lectionibus, Disputationibus publicis, & privatis; aut ubicumque promissa virorum, ac mulierum multitudine convenire solet, de his Assertionibus controversis in alterutram partem ita disputare, rationibus, vel Doctorum auctoritate unius partis Assertiones confirmare, alteriusque refellere, aut impugnare, vel cuiusvis pietatis, aut necessitatis prætextu de his loqui, scribere, vel dictare in posterum attentet, ut ausu temerario eas hereticas, suspectas, offensivas, & periculosas esse, & qui eas afferant, alicujus hæresis labe, aut suspitione contaminatum iri, donec auctoritate Apostolica mature definita fuerint, affirmare presumat. Quot si quis contra fecerit, sciat, se excommunicationis lætæ sententiæ poenam (a qua, nisi in mortis articulo constitutus, a nullo præterquam a Romano Pontifice valeat absolvi) incurrisse, & alias pœnas, nobis, nostroque arbitrio reservatas subiturum.

Ut autem hæ nostræ Litteræ, & præmissa universa ad eorum omnium, quorum interest, notitiam pervenire possint; monemus, requirimus, & obsecramus, ac in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus, & singulis Archiepiscopis, locorum Ordinariis, eorumque Suffraganeis, Vicariis, & Officialibus quibuscumque, aliisque omnibus, & singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, ut hujusmodi Edicti Literas singulis Diocesis, vel districtus Monasteriis, Concionatoribus, & aliis quibuscumque expedire judicaverint, opportune inveniunt, & promulgent, ac insinuari, & promulgari faciant: ne qua radix amaritudinis, & dissensionis, quod absit, per eos succrescat, per quam turbentur multi, quamque necesse sit omnino præcidi. Et ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam præmissorum possit prætereundere, aut se contra præmissa valeat excusare; volumus, & eadem pariter auctoritate decernimus, atque mandamus, ut præsentibus Literis in locis solitis hujus Oppidi Lovaniensis, & in aliis pariter Legationis nostræ confuetis affigantur, & in eisdem locis per aliquot dies affixæ remaneant: quæ affixio ita omnes, ad quos spectat, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimata fuissent. Datum Lovanii die 10. Julii 1688. Indictione 1. Pontificatus S. D. N. Sixti Divina providentia Pp. V. anno IV.

OCTAVIUS, Episcopus Galatinus,  
Nuntius Apostolicus.

Delegationis suæ partes ultra protendit Octavius Frangipani. Exceptis Roma mandatis inquirendi, num Episcopi aliqui de controversis dogmatibus ex juris præscripto iudicandi auctoritatem sibi arrogassent; ea de re questionem habuit, comperitque, Archiepiscopum Mechliniensem iudicium quidem in Jesuitas tentasse, sed intra minas hæsit; Episcopos bene multos, nec non Canonicorum Collegii, datis ad ip-

sum Epistolis, ea de re dixisse sententiam, Censuris Lovaniensi, ac Duacensi subscripsisse plurimos; neminem tamen ex juris formulis causam cognovisse; sed omnes Summo Pontifici servasse.

Rebus ita instructis, exceptisque scriptis utriusque partis, Romam ad Cardinalem S. Severinæ prope diem transmittendis, Legationis officium absolvit die Novembris 29., qua, renovato superiori Decreto, singulos ad pacem est adhortatus, omnia in suspensio posuit, silentium utrique parti indixit, donec de controversis Articulis iudicaret Apostolica Sedes. In quorum fidem sequens Instrumentum instruit voluit.

Die 29. mensis Novembris anni 1588. coram Reverendissimo Domino Octavio, Nuntio Apostolico, comparuerunt admodum R. D. Michael de Baj ab Atho, Henricus Cuyckius Culeburgensis, Cornelius Reynerius Goudanus, Frater Petrus Bacherius Dominicanus, Henricus Gravius Lovaniensis, Joannes Lenfæus Belliolanus, Egidius Wallius Brugenensis, Emmericus Everats Arendonckanus, Jacobus de Baj Athenis, Samuel Loyarts Altenhoviensis, omnes dictæ Universitatis Lovaniensis in Facultate Theologica Professores, illamque in totum representantes, nec non ad instantiam prædicti Reverendissimi Domini Nuntii Apostolici, per Decanum dictæ Facultatis, ad quem illius convocatio spectat, specialiter congregati, prout verum esse asseruerunt: necnon admodum R. P. Balduinus ab Angelo, Rector Collegii Societatis Jesu Lovaniensis, & Leonardus Lessius, in eodem Collegio sacre Theologia ordinarius Professor, etiam debite convocati. Quibus quidem sic convocatis, & congregatis, dictus Reverendissimus Dominus Nuntius Apostolicus, repetitis prius summariæ Brevis Apostolici, superioribus actis inserti, necnon Edicti per ipsum alias ad omnes valvas Ecclesiarum, & studii Lovaniensis, legitime publicati, & affixi, contentis, ad eorumque memoriam redactis, illis denovo serio sub pœnis in eisdem contentis admonuit, & per viscera misericordiæ Domini Nostri Jesu Christi exhortatus fuit, ut memores promissionis alias sibi factæ, donec utriusque partis scripta, & responsa, ab illis jam respective recepta, & per eum brevi ad suam Sanctitatem, Sanctamque Sedem Apostolicam mittenda, per eandem resoluta, ac definita fuerint, super eisdem articulis, inter eos controversis, aut aliis materiis consimilibus, aut ex incidenti articulis prædictos quomodolibet tangentibus, & definitibus, legere, scribere, disputare, statuere, aut definire per se, vel interpositam personam, aut alumnos suos, publice, vel privatim, verbo, aut scripto, non audeant amplius, aut presument: Quippe qui columna quasi, aut bases Catholicae fidei in his Inferioribus Germaniæ, ac Belgarum Provinciis erant, magnum suis disceptationibus, & controversiis apud debiliores Catholicos scandalum generarent; hæreticis autem obloquendi, & deridendi fidem Catholicam, omnesque Catholicos calumniandi, occasionem præberent: sed ut concordem, unanimesque, & probitate morum, ac doctrina sana, & recta apud omnes, pro expectatione totius Christianitatis, quæ assidue oculos in ipsos defixos habet, relucere, ac eminerent. Qui quidem omnes, sic congregati, unanimiter alta, & intelligibili voce, prædictorum omnium se bene memores esse, responderunt, promiseruntque, se illis, ut obedientiæ filios, lubenti animo parituros, omnique opera conaturos, ne unquam futuris temporibus similes in-

ter eos dissensiones, contentionesque oriantur: supplicantes, Actum hujuscemodi actis inseri, & ad suam Sanctitatem, sanctamque Sedem Apostolicam cum reliquis transmitti. Sicque, habita benedictione, dimissi fuerunt. Acta sunt hæc Lovanii, in Collegio, nuncupato Van Dale, domo habitationis, & residentiæ prædicti Reverendissimi D. Nuntii Apostolici, anno, die, & mense, quibus supra. Inferius erat scriptum.

De mandato Reverendissimi D. Nuntii Apostolici prædicti ego Jacobus Peranus, Clericus Leodiensis, Apostolica, & Imperiali auctoritate Notarius, qui præmissis omnibus interfui, eaque in notam scripsi, in illorum fidem me subscripsi, signumque meum apposui solitum, & consuetum.

Lis, eo pacto Romam ascita, silentio consensu est: qua ratione, profusus incertum; seu enim causæ pendens examen alterutrum partis industria fuerit præpediendum, seu negotiorum procrastinatione, ac subsecuta deinceps Sixti V. morte, Lovaniense dissidium cum causa Molinae, paulo post suborta, ob affinitatem argumenti in unum coaluerit; nullum unquam ea de re Decretum, Judiciumve Sedis Apostolicæ prodiit: nota duntaxat Leonardus Lessius fortuna, quam non ex alienis, suspectisve testibus, sed ex coævis, ac domesticis scriptoribus haurimus. Ita quippe Henricus Henriques Societatis Jesu, gratuitam Prædestinationem ad gloriam propugnans, Lessium tacito nomine carpit: (1) *Quidam doctus prædicavit in Academia Lovaniensi oppositum, cum magno scandalo Academia: re ad Sixtum V. Papam delata, sustinuit suæ temeritatis gravem reprehensionem.* Crudum vero, atque festivum nimis est, quod Gabrieli Henao venit in mentem, ut domesticis testimonii fidem elevaret. Henriques, inquit vir acutus, (2) *loquitur de Prædicatore, qui Catharini sententiam de Prædestinatione incircumspecte e sacro pulpito enarravit ad plebem: quo usquam munere Lessius functus est.* Quasi vero id Henriquesi verba postulent; virumque, e sacro pulpito dicentem ad populum, intelligere necesse sit, quoties quidpiam ab aliquo prædicatum legimus. Ne dignam Palæmone commentum! Nugacem ludimagistrum ad scholas amandare fat est, ut accipiem hujuscæ vocabuli viem edicatur. At interim rogo, nobis aperiat, quem alium loci, ac temporis nota, ita minutatim expresse, nobis indigent? Quis ea sætate temporum inconditas de prædestinatione opinioniones Lovanii cuderit? Quis Academiam offenderit? Quis ad Sixti V. tribunal delatus sit? Quamquam nec de iis vitiligare necesse est: seu etenim Lessius, aut Hamelius, seu quisvis alius in scholastico suggestu docens, aut in Ecclesiastico pulpito dicens ad populum, Sixti V. severam animadversionem concitaverit, quod contra gratuitam prædestinationem declamasset, proinde nobis est; perinde dogma Catholicum, ab imprudenti declamatore fugillatum, summi Pontificis iudicio vindicatur.

Nec vero magis ardidet, quod ad Henriquesi fidem sollicitandam subiungit idem: *Illum forte, falsis de Lovaniensi causa documentis deceptum, aberasse.* Quis enim, amabo, credit, Virum prudentissimum, rem non in angulo, sed in orbis luce positam, sui que Ordinis viro, ac summa sibi necessitudine conjuncto minus honorificam, temere prodidisse? Imo quis aperte non videat, eum facti veritate victum, ac de servando Societatis honore pie sollicitum, hanc unam

reticendi nominis arripuisse viam, quæ sola ipsi accommodatissima visa est.

## CAPUT V.

Novas Duaci turbas agunt Societatis Professores: falsis in Academiam criminationibus Nuntium Apostolicum circumveniunt, quas illa, datis Epistolis, cumulate diluit.

Decretum in causa Lovaniensi datum excepterat Academia Duacensis anno 1588., ac solito loco affigi jussit; non jubente quidem, sed ita optante, ac significante per Literas Nuntio Apostolico; quod una, eademque duarum Academicarum causa esset. (2) Jussit etiam, atque sancitis summa religione obsequerentur Theologi Professores, suam ut in Apostolicam Sedem, cujus auctoritate prodierant, observantiam, religionemque testarentur. Pax Belgicis scholis restituta putabatur; cum ecce turbas alias, superioribus nihil minores, excitarunt Societatis Professores annis 1589., & 1580.

Academiam doctrinam Calvinismi palam fugillavit Joannes Deckerlus, Theologus Jesuita, in suis ad primam secundæ D. Thomæ Prædicationibus, Quæstione sua 2. Propositione 2. Probatione 11. *Difficile est, ajebat ille de sententia Duacensium, videre, in quo secundum rem hæc sententia differat a sententia Calvinii. Nam Calvinus dicit &c. . . . . Hæc vero opinio dicit &c. . . . . Quæ sententia due in quo inter se secundum rem discrepent, certe non video &c.* Rursus in dictato quodam extraordinario, ex illis Edicti Sixti V. verbis: *Super quibusdam sane doctrinæ articulis, suam, suorumque doctrinam ab Apostolica Sede probatam, effudit, atque veluti sanam, & orthodoxam commendatam.* Non ab simili audacia Physicus Professor, in Tractatu de Causis, Facultatis doctrinam sub Calvinianismi nomine prolixius oppugnavit: cæterique passim, posthabito Apostolici Nuntii Edicto, adversus Academicarum Censuras, notata Lessii, & Hamelii dogmata tenacius testabantur. Hinc motus, hinc dissensiones, ac rixæ.

Nuntio Apostolico procul absente, rem primo cognoverunt Atrebatensis, & Tornacensis Episcopi, qui, indicto Jesuitis silentio, Academia Censuræ standum judicant, donec controversa, dogmata judicasset Apostolica Sedes, Amicam etiam inter partes dissidentes compositionem curant mense Februario anni 1591., quæ publicis Academia Tabulis inscripta est sub hac forma.

*Ad sapiendam dissensionem inter Facultatem Theologicam Universitatis Duacensis, & Patres Societatis Jesu, Duaci agentes, exortam ratione quorundam dogmatum de Gratia, & Prædestinatione, quæ fuerant ante triennium Lovanii ventilata; Visum fuit nobis Tornacensi, & Atrebatensi Episcopis, partibus in amicabili, & charitativa communicatione, & consensu auditis, vehementer expedire ad pacem, & tranquillitatem hujuscæ Universitatis, & scandala vitanda, ut Societatis Patres, tertie Regule, sive Consilio libri De ratione doctrinæ Societatis sese conformando, non doceant de supradictis materiis in hac Academia Duacensi contraria doctrina Facultatis Theologicæ, donec per Sedem Apostolicam, Quæstiones de supradictis materiis exorta, fuerint definitæ, sive determinatæ.*

Sub-

(1) Lib. de ult. fin. c. 12. Lege Thomassini. Tr. 4. de gratia p. 4. (2) De Scient. med. sect. 172. (3) Ex Nuntii Apostolici Narratione, & Academia Duacensis Epistola.

Subscriptum.  
 VENDVIIUS, Episcopus Tornacensis.  
 MATTHÆUS MOULARTIUS, Episcopus  
 Atrebatensis.  
 MATTHIAS BOSSEMIUS, CanceMarius Duacensis.  
 GUILIELMUS ESTIUS.  
 JOHANNES DECKERIUS.  
 JOANNES DE LA HAYE Servius, Rector  
 Collegii Societatis Jesu.  
 BARTHOLOMÆUS PETRUS Lintrensis.

Sodalitii Jesu viros, in suis servandis finibus adeo expectatos, & acres, huic meditata compositioni subscripserunt, miraculi prope loco haberi potest. Sed hanc illis subscriptionem extorsit causa necessitas, in quam illos Academia Duacensis induxerat, ne quid illis pejus accideret. Aperta enim in primis, atque explicitissima lex erat, cui illos stare voluerunt Illustrissimi Præsules, eique repugnare palam pudor erat: (1) *Que opiniones, cujuscumque auctoris sint, in aliqua Provincia, aut Civitate multos aut nostrorum, aut exterorum Catholicos, & non indolitos offendere sciuntur, eas ibi nemo docet, aut defendat, & quamvis alibi sine offensione doceantur.* Rursum cum ante annos viginti tres, pacto cum Academia Duacensi inito, ad docenda Pastoralia duntaxat admissi fuissent, hoc est, ad Theologiam nudam, qualem simplicium Sacerdotum, & Curatorum status exigit, edocendam; timeendum illis erat, ne si oblatæ compositionis acquiescere nollent, omni docendi iure interdicerentur; quippe qui postea, jam pridem iniata, violaverant, contentiosa illa de Divinis Auxiliis tractatione. Stimulabat & illos tam præfacta, tam audax Decreti, a Nuntio Apostolico facti, violatio: metusque erat, ne, si quid hæc occasione mustitarent, admissi delicti poenas luerent. Quare, demisso supercilio, oblata compositionis specie saltem assensere, ea tamen conditione verbo addita: *nisi ab Generali suo Preposito improbaretur*; quod illam forte ab ipso improbatum iri, suspicarentur.

Conditionem, tamen lepide festivam, accepere sequentri Præsules, ea nihilominus lege, ut Præpositi Generalis improbatum (si forte accideret) Ordinario loci scripto, ac forma juris exhiberetur. Verum, bono licet animo omnia fierent, non diu Jesuitas inire compositionis religio tenuit. Quin potius injuriam clanculum causati, Nuntium Apostolicum, Coloniae commorantem, Litteris occuparunt, mensè ipso Februarii, die 17. quibus Academiam variis calumniis impetebant, & Illustrissimos pacis sequestros, uti publici juris violatores, inculpabant. Erant hæc criminacionum Capita. 1. Quod pristinum Edictum, in causa Lovaniensis latum, qui par erat, reverentia, debitoque loco minime vulgasset Academia: hoc est, non in fronte Cathedra Professoris Theologi, ut moris erat, affixisset, sed ab tergo, ut a nemine legi, observarique posset. 2. Quod ab ea dubitatum esset, An Edictum illud Theologos Duacenses, perinde ac Lovanienses attingeret. 3. Quod eo usque deliquisset, ut etiam in questione verteret, An re ipsa ab Nuntio Apostolico editum esset Edictum, an a quopiam subdolo impostore. 4. Quod ab illius observantia procul abisset Academia, ex quo tempore latum erat. 5. Quod convitiis Societatis viros affectissent Academia Theologi, novaque in dies jurgia concitarent. 6. Quod tentata ab Illustrissimis Episcopis compositio novas diffensiones commovisset: aliaque id genus conviciorum plaustra de fuscitatu

Bajanisimo, quibus meritissimos Theologos non apud Nuntium tantum, sed & apud viros Principes oneraverant.

Hæc voravit Nuntius Apostolicus, falsis expostulationibus circumventus. Rem totam Cardinali Sfondrato litteris significavit die mensis ejusdem ultima; ac, nedom expectatis Rescriptis, ordinaria Nuntii Apostolice auctoritate usus, Atrebatensem, & Tornacensem Episcopos per litteras monuit, ut recentem flammam extinguerent publica Edicti in causa Lovaniensi alias edili promulgatione. Id impigre præstiterunt prudentissimi Præsules, non sine aliquo Academiae sensu, cui plane perfectum erat, ex falsa suggestione mandatum illud extortum fuisse; eamque iteratam Edicti publicationem cum tacita sui accusatione (quasi in eo alias publicando, servandoque defuisset) suisque nonnulla ignominia conjunctam esse. At injuriam pati maluit, quam officio desesse. Edictum nova solemnitate vulgatum, nova venerationis, & observantia significatione oculata est.

Interea subintravit in causam Middelburgensis Episcopus, qui cum certo nosset, novas indies controversias orituras ob Pontificia definitionis, quam jam antea sponderat Sixtus V., procrastinationem, Gregorium XIV. supplicibus Episcopis rogavit die 4. Aprilis, ut presentibus diffidiis Apostolica definitione modum poneret, & futura præcaveret. Respondit Sanctissimus huic nomine Cardinalis a S. Severina, sustinendum ad tempus: sed & interim Apostolico Nuntio injunxit, ut magui nominis, & auctoritatis Virum Duacum digigeret, qui utramque partem ea de re disputandi facultate interdiceret, quemadmodum in causa Lovaniensi sancitum fuerat.

Excepto Pontificio Mandato die 21. Junii, id a se jam per predictos præstitum intellexit Nuntius Apostolicus, quod sibi præstandum injungebatur. Quare a Viro Duacum delegando abstinuit; sed novo Edicto, quo prioris observantia jubebatur, in Academiam Duacensem, falsis ab adversa parte criminacionibus appetitam, animadvertere; durioresque ad eisdem Rectorem Epistolulas dedit, universo Theologorum Ordini communicandas. Decreti verba hæc erant.

OCTAVIUS, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Calatinus, S. D. N. Gregorii Divina providentia Papa XIV., ejusdemque Sanctæ Sedis in Coloniaensi, Moguntinensi, Trevirensi, Argentineni, Spirensi, Wormatiensi, Monasteriensi, Osnaburgensi, Paderbornensi, Leodiensi, Luxemburgensi, & in Inferioris Germaniæ, & Belgicarum Provinciis, Civitatibus, & locis omnibus, etiam Ducu Clivensi, & Juliacensi subiectis, Nuntius cum potestate Legati a latere: Patribus Societatis Jesu, Duaci residentibus, & Theologicæ Universitatis Duacensis Facultati, Salutem in Domino sempiternam.

Cum annis præteritis in causa Diffensionis Universitatis Lovaniensis cum Theologicæ Societatis Jesu, Lovaniensi degentibus, Edictum promulgaverimus tenoris sequentis: *Esti diversorum hominum &c.* Ut supra: (2) & modo non sine nostro merore audiamus, novam diffensionem exortam inter eos, nimirum Universitatis Duacensis Facultatem Theologicam, & Patres Societatis Jesu, Duaci residentes, ratione quarundam dogmatum de Gratia, & Predestinatione, que inter alia fuerant ante triennium Lovanii ventilata; necnon dubitari a multis, an prædictum Decretum liget Duacenses, imo an nostrum sit Edictum, vel alterius, ac etiam quod amicabilem compositionem, a Reverendissimis DD. Episcopis Tornacensi, & Atrebatensi, ad novam illam controversiam sapiendam pro-

pace, & tranquillitate Universitatis Duacensis, scandalisque vitandis interposita, diffensionem non admittat, noramque commoveat ea ratione, quod uni tantum parti inhibuitur, ne de supradictis materiis in Academia Duacensi doceretur, donec per Sedem Apostolicam questiones, de iis exorte, definite, ac determinate fuerint: Nos pro munere, nobis commissis a S. D. N. Papa, popularum scandalis occurre-re voleat, presentibus bis nostri novi Edicti Litteris consueimus declarandum, nedum prædictum nostrum Edictum Duacenses ligare, nostrumque esse, non alterius; verum etiam illud innovare, quemadmodum eadem auctoritate nostra, imo verius Apostolica, illud in primis innovantes, dilucida declaratione decernimus, omnes, & singulos cujuscumque Ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis, sub Legatione nostra degentes, & Duacenses præsertim, Edicto præfato, quod nostrum est, non alterius, ligari, ejusque penis subijci; & ordinandum, ac mandandum, sicut per hæc nostra, imo verius Apostolica scripta ordinamus, & mandamus, ut quod prohibuitur sit a prædictis Reverendissimis DD. Episcopis Patribus Societatis Jesu, Duaci degentibus, idem Theologicæ Universitatis Duacensis Facultati inhibuitur censetur; aut saltem, ad declinandam studiorum ex hujusmodi interruptione dispensanda, utriusque opinionis assertoribus maneat sua sentiendi, docendique libertas, servata utrinque Christiana in evocanda veritate modestia, depulsiisque hinc inde injuriis investitis, ac privatis, publicisque conviciis, donec per Sedem Apostolicam questiones, de hujusmodi materiis exorte definiantur, ac determinentur; sicut & Nos utriusque parti tenore presentium inhibemus sub penis, & Censuris, que in Edicto nostro prædicto, Lovanii publicato, continentur. Quod si utraque pars, vel alterutra contraxerit, sciat se penis ejusdem Excommunicationis late sententiæ, & aliis arbitrio nostro reservatis subijciendis, quibus illi, qui contravenissent Edicto præfato, obnoxii declarantur. Et ne quis præmissorum omnium ignorantiam pretendat, aut se contra præmissa valeat excusare; volumus, & eadem pariter auctoritate mandamus, ut presentes Littere nostre in loco Sedis Theologorum publice affigantur, ubi reliqua omnia similia affigi solent, ibique per aliquot dies affixe maneat. Que affixio ita omnes, ad quos spectat, afficiat, & ardeat, ac si illis personaliter intimata fuissent. Datum Coloniae die 28. Junii 1591. Indictione quarta, Pontificatus S. D. N. Gregorii, Divina Providentia Papa XIV. anno primo. OCTAVIUS, Episcopus Calatinus, Nuntius Apostolicus.

Edicti hujus promulgationi intercessit Academia, quod illud a Judice, falsis documentis, & adversa partis artibus circumvento, latum, certo seiret. Ea tamen animi modestia se gessit, ut nihil de sua in Nuntium Apostolicum veneratione remitteret. Prolixas ad eum Litteras misit die 13. Augusti 1591., adjunctis publicæ fidei instrumentis, quibus emulorum criminaciones diluebat. Recum gestarum seriem aperuit: suam in veteri Edicto servando Religionem probavit: omne in Jesuitas accusatores crimen rejecit: rogavitque supplex, ut facta recta manente amica compositione, ab Episcopis Atrebatensi, & Tornacensi gravissimis de causis initiata, mutuoque partium assensu suscepta, ab hujusce novi Edicti promulgatione superederet. Epistolam hanc totius Theologicæ Ordinis nomine scripsit Guilielmus Estius, Vir omni laude superior, pietate, eruditione, Religionis zelo commendatissimus, quam ex ejus Autographo nuper descriptam, & inter alia documenta, ad Academiam Duacensem historiam spectantia, vulgatam, dabimus in Appendice nostra.

Serry Tom. I.

Hæc ad hæc Nuntius Apostolicus, nihilque, quod sciamus, ab Academia Duacena postulat, justitve deinceps, acceptis Epistolis. Quare nec ex juris formulis Edictum illud secundum vulgamentum unquam, nec in publicos Academiae Commentarios relatum est. (1) Quin etiam in ipsa Nuntii Apostolice Narratione, Italico Idiomate scripta, & ad Cardinalem S. Severinæ Romanæ ab ipso transmissa, ut demandata sibi fopendi Lovaniensis, & Duacensis diffidii provinciam rationem redderet, ne verbum quidem occurrit, unde illum, acceptis Academiae Litteris, Edicti secundi promulgationem jussisse, colligi possit. Quocirca effectum est, ut prisca Belgarum Academiarum Ofores, qui qualibet ex re criminandi occasione arripere, nodumque quolibet in serpo quæsiere, primum quidem Octavii Edictum ad sua instituta detorserint; ab hoc tamen secundo profertendo penitus temperarint, quod illud effectu caruisse, satis nosset. Post annos amplius odoginta, (2) illud mortalium primus vulgavit in lucem P. de Fourmentreaux, & in domesticæ cause patrocinium venditavit. At sero nimis, & incircumpecte, quod attinet doctrinæ caput. Demus enim, nihil Edicto huic ex juris forma deesse; ut laudari a viro prudente possit: quid uni præ altera parti prodesset fiduciarium Decretum, quo utriusque silentium æque indicitur; seu potius quo, data utrique opiniones suas propugnandi, docendique libertate, ab injuriis, notique partis adversæ temperandum injungitur, donec per Sedem Apostolicam Questiones, de hujusmodi materiis exorte definiantur, ac terminentur? Sit certe nedum mentis, sed & sensu captus oportet, quisquis aliter fenserit.

Vir doctissimus Geri, seu quisquis auctus sub eo nomine delitescens, qui Historicam Censuram Belgicarum Apologiam edidit non ita pridem, in hujusce ultimi Decreti notam suspensionem venerat: verum, re maturus inspecta, dubitationem excussit omnem, in suis ad Academiam Duacensem Historicam documentis, anno 1696. publicæ luci dedit; rationibusque, quas ad probandam suppositionem usurpaverat primo, obreptionem Apostolico Nuntio factam demonstravit, pari ingenii subtilitate, & elegantia.

Ad hujusce novæ diffensionis initia, ad annum scilicet 1589., aut 1590. revocandum opinor Baldum Rithovii, Regii in Academia Duacena Professoris, adversus Joannem Deckerium Societatis Theologum publicam concertationem, quam aliqui ad annum 1609. minus caute retulerunt. In hanc Epocham nostram universa conspirant; tunc etenim, commissi cum Academia, Societatis Professores Belgicarum Censurarum doctrinam fugillabant, suamque ambitiosius efferebant; quos idcirco publicis Orationibus retundere opus erat. Regium etiam Professore agebat ea ætate temporum Baldum Rithovium; legebatque apud suos Joannes Deckerius; quæ duo figenda Epochæ plus iusto sufficiunt. Sed & omnem dubitationem amovet Regii Professoris Oratio publice pronunciata, unde temporis notam certo colligimus. In primis enim Benedicti Perreii in Danielelem Commentarios, in Censurarum doctrinæ patrocinium, afferens, illos nuper Roma primum in lucem editos observat: porro in Danielelem Perreii Commentarii Romæ primum apud Georgium Ferrarium cusi fuerant anno 1587. Rursum, Matthæum Bossemium, uti tunc Academiae Cancellarium commendat, quem nominatim fugillare Deckerius veritus non erat; at eo munereungebatur Vir meritissimus, quo tempore cepta

(1) In Tract. de opinionum delectu, pag. 10. (2) Cap. 4. pag. 24.

(1) Extat in Collect. D. Pegna. (2) Anno 1673.

motaque lis est; ut ex amicæ compositionis, ab Episcopis interpositæ, subscriptionibus liquet: nullus vero anno 1609. Bossenius erat, qui integro ante decennio diem obierat, anno nempe 1599. Demum Petri de Rivo damnationem, a Sixto IV. latam anno 1473., in Societatis doctrinam regerens, eam ante annos circiter 115. Romæ latam observat: at totidem evoluti numerabantur anno 1589. quo novi isti turbines in Academia Duacena excitati sunt. Rithovii Orationem publice habitam, seu Responsum adversus Deckerii querelas, ex scholæ suggestu pronunciatum, mitimus in Appendicem.

## CAPUT VI.

Vane recentium quorundam adversus Censuram Lovaniensem criminationes diluuntur.

Nihil ita in recentium Societatis Theologorum scriptis, de Divina gratia trahentibus, frequenter occurrit, quam fuisse a Sixto V. scriptam Censuram Lovaniensem, uti maleferiatum opus, & abortivum Bajanæ factionis partum. (1) Id vero qua parte contetur extendere, mirum distul. Animadverterunt scilicet viri boni, tum Sixtum V. in Brevi Pontificio supra laudato, tum Octavianum in Decreto ortam Lovanii Controversiam significasse in quibusdam sane doctrinæ articulis; ac protinus, quasi ridente Minerva, ac secundo sibi favente Mercurio, hæc ad Leonardum Lessii designandam doctrinam misere detorserunt; eamque propterea, uti sanam, a Summo Pontifice, ejusque Nuntio judicatum iactarunt. Rursus, indicium Academicæ silentium, quasi non itidem Societati justum esset, damnationis loco reputarunt, indigna plane, atque injusta facti dissimulatione. Ac demum Michaëlem Bajum (cujus propositiones aliquot Pius V. & Gregorius XIII. prædammaverant) e Lovanienfibus Censoribus unum animadverterunt, eoque modico sermone totam Academicæ massam corruptam conclamarunt.

Non morabor hic, quæ ad primam criminationem confutandam scripsit recens Belgicarum Censurarum Apologita; legendum scilicet *sacra* (non *sane*) *doctrinæ articulis*; Jesuitæque recentiores eum Brevis Pontificii locum fæde mutilasse; adeo ut il, qui in Congregationibus de Auxiliis Societatis partes egerunt, nusquam ea verba in rem suam usurpaverint. Mihi quippe duo hæc æque falsa probantur. Licet enim in editis Lemosii, *sacra doctrinæ* interdum occurrat; aliter tamen in Codicibus manuscriptis: uti & in omnibus Brevis Pontificii, Decretique Octavii exemplaribus, inter Acta Congregationum asseratis. Sed & Bastidam iis in verbis vim fecisse lego, in sectione habita die 22. Martii 1604., (2) nec tamen illum a Lemosio falsi postularum; tametsi nihil inde ad Lessianæ doctrinæ commendationem extendi posse, Vir maximus demonstraverit. Miror, inquietabat Bastida. (3) *quod R. Pater in conspectu Sanctitatis Vestre produxerit in hac materia Lovanienfem, cum ab hac S. Sede fuerit illis impostum silentium, quia injuste accusabant Patres Societatis de quibusdam Propositionibus doctrinæ SANÆ.* Quibus Lemos ita reposuit: *Quod dixisti, indignum esse, ut in conspectu S. D. N. asseratur Censura Patrum Lovanienfium, certe miror, quod hoc audeas proferre, cum nihil fuerit ab hac Sancta Sede contra eos definitum. Nam per illam Bullam tantum impostum fuit silentium Patribus illis, &*

*vobis etiam, ne de propositionibus SANÆ fidei esset controversia. Non ait, Propositiones vestras fuisse SANÆ fidei, sed controversias super rebus SANÆ fidei. Et ideo præcipitur utriusque parti, ut, datis eorum rationibus Sedi Apostolicæ, expectent, quod ab ea fuerit definitum.*

Accedit Academicæ Duacensis Epistola, Cap. superiori laudata, & in Appendicem nostram in integrum referenda: ubi Societatis Theologos exagitant viri Academici, quod suam iis Decreti verbis probatam doctrinam essentent super quibusdam SANÆ doctrinæ articulis; nec tamen illos falsæ, & adulteratæ lectionis postulant, sed finitæ duntaxat, & absque interpretationis accufant. Non aliter Balduinus Rythovius, Regius quondam, & Ordinarius in Academia Duacena Professor, Joannem Deckerium eadem argutias obrudentem eventilat, non objecto lectionis, ut dixi, sed interpretationis vitio; ut inter Appendicis instrumenta videre licet.

Nec me movet Joannis a S. Thoma testimonium, qui eam de Sixti V. Decreto disceptationem ex Actis Lemosii referens, (4) ita Bastidam loquentem inducit; quasi Lovanienfibus impostum silentium, dixerit ob facessitum Societati negotium in quibusdam SACRÆ doctrinæ capitibus. Non enim præsentem criticæ difficultatem movit Vir eruditus, ut in verbis ei vim facere necesse fuerit; nec idcirco Actorum reulit verba, sed sensum, prout suo conducebat instituto. Etenim (quod ad rem nostram facit maxime) ita in hisce Lemosii Actis Societatis interlocutor inducitur: *Quomodo in conspectu Sanctitatis sue adducuntur in hac materia Doctores Lovanienfem; cum ab hac Sancta Sede illis in hac parte fuerit impostum silentium, quia injuste in hac materia accusabant Patres Societatis de quibusdam propositionibus doctrinæ SANÆ?*

Legendum itaque, in quibusdam SANÆ doctrinæ articulis; nec tamen ob id Lessii commendata doctrina, aut Lovanienfium prædammata Censura putanda est. Ea quippe loquendi ratione, Controversiæ Academicæ inter, & Societatem agitata argumentum indigitatur: Cum enim non de Philosophicis, sed de Theologicis questionibus ageretur, soleatque Theologia sacre doctrinæ nomine nuncupari; hinc in quibusdam sacre doctrinæ Articulis ortæ controversiæ dici potuerunt. Cumque rursus repugnet, id sanum non asseri, quod sacrum merito dicitur; quidpi quoque super SANÆ doctrinæ articulis, ortæ controversiæ dictæ fuerint? Hoc itaque sibi voluit unum Pontifex Maximus, de rebus Theologicis Lovanii controversiam emeruisse.

Quamquam si ea loquendi ratione, non ipsa per sese Controversiæ materia, fed alterutrius partis doctrina designata fuisset; quo, quæso, jure, quoque titulo id in rem suam Jesuitæ præ Lovanienfibus verterent? Certe, dum controversiam ortam significat Sixtus V. in quibusdam SANÆ doctrinæ articulis, ne verbulo quidem insinuat, quæ pars SANAM illam doctrinam profiteretur: pari itaque forte, si quid inde lubet extendere, verba hæc suas in partes trahere possent Lovanienfem, ac Jesuitæ. Controversiæ quippe ortæ perinde dici potest super Lovanienfium doctrinam, quam primo temere Lessius suis in prælectionibus, veluti Calvinianam fugillabat, ac super Jesuitarum Assertionibus, quas, uti Semipelagianas, Academia confixit. Utriusque ergo, si superis placeat, canere liceat, Io triumphæ. Imo fallor; stante etenim dubio, triumphum soli possent canere

nere Lovanienfem iusto præsumptionis jure, quod in dubiis nobiliori parti asserunt et.

Verum iis omiſſis, non ita operosum erit, primæ hujus in Lovanienfem Censuram criminationis iniquitatem aperire ex ipsis solis Nuntii Apostolici delegationis instrumentis, antequam Censurarum Belgicarum auctoritatem, petitis aliunde momentis, sequenti capite demonstremus.

Quæ etenim, amabo, ratio, quæ forma juris patitur, ut in ipso Pontificis Brevis, quo utrique Parti æque silentium indicit, causam judicandam ad se vocat, instrumenta partium ad se transmitti jubet, facti cognitionem postulat, ut controversiam tandem auctore Spiritu Sancto definiat, partem alteram unius appositione vocatæ prædammaverit? Facti repugnantiam vehementer auget temporum observatio. Datum quippe fuit Sixti V. Decretum 15. Aprilis 1588. Censura autem Lovanienfem non ante diem mensis ejusdem 28. ab Octavio Romam transmissa est; nec nisi sub finem Maii Summo Pontifici reddi potuit. Qui ergo contentam eo in Decreto Lovanienfem Censuræ damnationem fabulantur, damnatam nobis a Sixto V. Censuram obrudent, quo illam tempore nec legerat, nec expenderat: quod quam verisimile fit, judicent eruditi.

Sed & Nuntius ipse, Pontificiæ voluntatis dignus interpres, quippe iis verbis, SANÆ doctrinæ, pariter utitur; suo in Decreto profertur, Romanam Ecclesiam neutrius partis damnasse sententiam: alterutram Censura aliqua notate vetat, donec controversia auctoritate Pontificiæ fuerit definita. Num, quæso, illum rerum istarum nescium, sensusque Brevis Pontificii sibi transmissi prorsus ignarum effutiemus, ut illud necdum ab Ecclesia damnatum dixerit, notarique veterit, quod Brevis suo Pontifex prædammasset?

Quin imo post datum illud Sixti V. Decretum, Censuræ vero Defensionem edidit Academia Lovanienfem, Lessiique doctrinam novis confutavit argumentis, præsentem, ac volente Nuntio Apostolico. Ut quid autem passus esset ille, Lovanienfem deno coram semetipso eandem solemniter doctrinam profiteri, quam Pontifex ipso delegationis ejus Decreto profcripserit; eamque rursus, uti peregrinam, offensivam, & periculosam publice confutare, quam idem veritatis arbiter approbasset? Mirum!

Quid Episcopi, quorum iusto defensionem ediderunt, id præcepissent, viri alias in Summum Pontificem observantissimi? Hinc videas, quam inepte Lessio suo plaudat Societatis Theologus, dum ita fuis in Thesis Rothomagi defensionis die 10. Januarii 1698., scribit: *Manet interim, æternumque manebit primæ Sedi Judicium, quo Lessii doctrinæ SANÆ pronuntiata est. Manet immo, æternumque manebit, ineptum esse Pontificii Brevis Interpretem, qui hæc scripserit.*

Nec minus insulam illam Pontificiæ damnationis fabulam revincunt, quæ de diffidio Duacensi supra retulimus. Dum enim ortam eandem Duaci controversiam, novo meditato, ac misso Decreto componendam censuit Nuntius idem; tentatam prius ab Episcopis compositionem diffensiones auxisse conquestus est ob id unum, quod uni duntaxat parti, videlicet Societati, silentium indixissent. Nonne vero conquestus esset magis, huic parti silentium indicium, cujus doctrinam & Pontifex, & ipsemet approbasset; illique e contra concessam docendi licentiam, quæ Lovanienfem Censuræ damnatam doctrinam studiose tuebatur? Nihil quippe ad eorum Episcoporum compositionem improbandam opportunum magis occurrisset, si quæ nobis obrudant Lessianæ doctrinæ vindicæ, & Academicæ Lovanienfem Ofiores, Sorry Tom. I.

veritate niterentur. At tantum abest, ut hæc illi in mentem venerint aliquando, quin potius Duacensibus, Lovanienfium Censuræ doctrinam propugnantibus, sua sentire, ac docere, solemnè Decreto permisit. Adeo scilicet fabulosam habuit Lovanienfem Censuræ damnationem, quam tamen nedum a Sixto V., sed & ab ipomet latam, inaplacebiles obretractores effutiunt.

Secunda de imposito Academicæ silentio criminatione sua ipsius levitate dissipatur, & evanescit: Nam & Societati æqua forte indicium est, non spectatis quidem controversiæ doctrinæ meritis, sed vitanda contentioſiſſimo studio, donec rem Sedes Apostolica definiret. Quid hinc porro Jesuitæ sibi præ Lovanienfibus arrogant? Rebus enim ita in suspensio positæ, stat utriusque partis æqua conditio, judicii Ecclesiastici spectata ratione; nulliusque propterea definita, vel damnata sententia censenda est. Quamquam tamen, si uni cuique doctrinæ servanda prærogativa, ex assertoribus, auctoribusque perita, sic ut Lessiani articuli, non nisi privati opinionationes habeantur; Lovanienfium vero Censuræ, tanquam venerandi Ordinis assertiones excipiuntur, cujus est doctrinæ de rebus Theologicis judicium ferre. Hinc Bastidam, indicti silentii prætextu, objectam sibi Censuræ Lovanienfem auctoritatem declinantem, non semel a Lemosio coram Clemente VIII. exagitatam observo, quod eam meritis Patribus venerationem in lato doctrinali judicio non exhiberet, quam tanta fama nominis postulat.

Tametia attenda Instrumentorum lectione, detexti, nec Brevis Pontificii, nec Nuntii Apostolici Decreto plenum, absolutumque silentium partibus indicium, sed circumscriptione aliqua temperatum. Pontifex quippe a *Contentionibus, Dissensionibus, Decertationibus, Dissidiis*, non a publicis lectionibus abstinendum injunxit. Nuntius vero duo caute distinguit; partes scilicet contententes, & alios variorum Ordinum viros, qui alterutrius partis immoderato affectu ducebantur. Illis injunxit, ut, quibusvis sepositis disceptationibus, senta sua Apostolicæ Sedi subjicerent: Istis districte vetuit, ne de controversis assertionibus ita differerent, ut partem alteram injuriis, ac notis afficerent. Neutris vetitum lego, ne sua interrim sedate, ac pacifice sentirent, ac legerent. Immo si datum in causa Duacensi Decretum, uti certam Decreti, pro Lovanienfem Controversiam emissi, interpretationem excipere licet, id ipsum discrete concessum invenio: *Saltem*, inquit; *ad declinandam studiorum ex hujusmodi (lectionum) interruptione dispensanda, utriusque opinionis assertoribus maneat sua sententiæ, & docendi libertas, servata utrinque Christiana in eruenda veritate modestia, depulsiſſime hinc inde injuriis invectivis, ac privatis, publicisque conviciis; donec per Sedem Apostolicam questiones, de hujusmodi materiæ exorta, definiantur; sicut & nos utrique parti tenore præsentium inhibemus sub premissis, & Censuris, que in Edicto nostro præfato Lovanii publicato continentur.*

## CAPUT VII.

Censura Lovanienfem iniquis Michaëlis Baii artibus minime tribuenda venit. Sed nec illius duntaxat atatis, verum etiam sequentium deinceps temporum germana totius Academicæ doctrinæ censenda est.

Firmioribus non stat fundamentis altera contra Lovanienfem criminatione. Quid enim, si Censores inter federit Michael Bajus, a Pio V. ante annos viginti damnatus? Numquid universum Theologicum Ordinem, obtorto veluti naso ductum,

(1) Moraines, Paul. Leonardus. Henao. Annatus. Thiers. Gorzel. & alii. (2) Lege lib. 3. cap. 32. (3) In Actis Secretari. (4) 1. parti. q. 14. disp. 20. art. 6. n. 9.

rum, privati ejusdem hominis studia emulari, eique jam pridem illatae calumniae vices Societati rependere voluisse, putandum erit? Aut Academiam Duacensem, omnesque pene Belgii Episcopos, Lovaniensis Censuræ Vindices, ( quibus nihil unquam cum Bajo commune fuerat ) malo in Societatem animo actos, ac vindictæ facibus animatos existimabimus? Abiit.

Alius certe erat ætate illa non Academicarum modo, & Episcoporum, de quibus talia sentire sacrilegum est, sed & ipsius Michaelis Baii animus, alia voluntas. Illatum enim vulnus non sola diuturnitas temporis obduxerat, sed eximie virtutis, summæque humilitatis sensus, quo Sedis Apostolicæ judicium absque ulla prorius cunctatione amplexus, quieverat: adeo ut non tam læsa sit ea damnatione doctrinæ illius fama, quam aucta pietatis, ac Religionis opinio; cui Scriptores Ecclesiastici, atque ex ipsa etiam Societate, illustre perhibent testimonium. (1)

Unius Theophili Raynaldi verba dico, qui ut rugosa frontis, & obducti supercilii Censor esse solet, in laudando viro, minus Societati propitio, fidem sibi facilius conciliabit. In Clausula operis de libris confingendis numero 571. de humilitate post justam confixionem tenenda sermonem habens, Quo in genere, inquit, Michael Erius æternum quibusvis scriptoribus exemplum sapientie, ac virtutis statuit, cum confixis a Francisco Toledo, per Pontificem ad id delegato, nonnullis ejus libris, oblatæque Censuræ, ac acquiesceret rogatus, malle se dixit, porcos pasceri, quam ejusdemque per Ecclesiam delecti judicio de scriptoribus suis pervicaciter oblutari.

Quare nec Octavius, Apostolicæ Sedis Nuntius, Lovaniensis dissidii diligentissimus cognitor, ullam de meritis Censoribus factionis, coitionis suspicionem habuit, sed illos, uti religioso zelo ductos, excepit; nec qui Societatis partes egere in Congregationibus Auxiliorum, objectamque sibi Censuram Lovaniensem ægre tulere, eam doctissimis Viris injuriam irrogarunt.

Cæterum, quamquam sufficiunt illa per sese ad falsæ criminacionis injuriam propulandam, accedit alterum omni observatione, & auctoritate superius. Si enim anno 1587. edita Censura factiois Michaelis Baii artibus tribuenda foret; quorum eam ad nostra usque tempora solemnibus instrumentis toties renovavit Academia, ut non illius quætaxat ætatis, sed omnium plane subsequenrium temporum Lovaniensis Doctrina perhibeat? An hic Gentilium fabulas obtrudemus, animamque Baii, mortali corpore solutam, tumulo suo ad hæc usque tempora circumvolantem garriemus, suos etiamnum Lovaniensibus Doctores sensus infufurantem?

Lubet in eo, qui se mihi nunc campus aperitur, paulo liberius excurrere, & ad augendam Censuræ Lovaniensis auctoritatem, renovationem ejusdem instrumenta subjungere.

Eam in primis anno 1613. authentico scripto renovavit, ad nonnullos rumores propulandos, quos viri e Societate disseminaverant. Ad sacrum quippe Theologorum confesum delatis rumoribus, quibus ab avita doctrina Academicam recessisse ferebatur, calumnia publico instrumento propulandam judicavit; illiusque instruendi provinciam demandavit P. Thomæ de Torres Ord. Prædicatorum, singularis pietatis, & eruditionis viro, tunc temporis Decano, ac postmodum ad Episcopales insulas pro meritis assumpto. Quod quidem instrumentum die 2. Augusti in solemnibus Academicæ Comitibus lectum, discussum, approbatum,

& in publicos Commentarios relatum est, sub forma sequenti.

Cum ad aures Facultatis S. Theologie Universitatis Lovaniensis pervenerit, sparsum esse in Hispania, Italia, & aliis partibus, eam in materia de Auxiliis, & Gratia Christi mutasse sententiam, & ab antiqua, quam in sua Censura, Summo Pontifici Romanam transmissa, quondam tenuit, retrocessisse: idque ob energiam argumentorum, quæ P. Lessius, tum viva vocis dictaminis, tum edito libro in medium attulit: Volens huic sparsæ rumori obviare, & veritatem omni, volenti scire, manifestare, sub juramento congregata in Capitulo parvo S. Petri, die 30. mensis Julii, post Vesperas anni 1613., nullo Magistrorum ipsius contradicente, tota Facultas uniformiter declaravit, & testata est, se semper tenuisse, & nunc de presenti tenere; semper persistisse, & nunc de presenti persistere in sua antiqua sententia, quam in dicta Censura tenuit, & ibi declaravit; nec unquam ab illa sententia discessisse, nec in posterum, Deo favente, discessuram, donec per Summum Pontificem aliud definiatur; aut a S. Romana Ecclesia, cujus censura, & correctioni omnia in prædicta Censura contenta, & quelibet alia a se dicta, & in posterum dicenda humiliter subjicit, aliud tenere ei precipiatur. Declaravit insuper, tantum abesse, ut argumentis P. Lessii antedicti a sua sententia recesseret, ut ex adverso, quemadmodum olim ipsius ipsius dictata improbarit, ita nunc improbat ipsius edita scripta in hoc determinata materia. Permissitque prædicta Facultas, & voluit, copiam hujus Actæ omni volenti habere illam, dari, & ad quascumque partes transmitti.

Quod attestor GERARDUS RIVIVS, Facultatis Bedellus, & Notarius publicus.

Eandem Censuram rursus fecit temporibus renovavit. Otto scilicet in Academia Tolofana dissidio inter eisdem Theologos, & Societatis Professores de Censuris, Lovanii, ac Duaci latis adversus Lessium, & Hamelium; totius Academicæ nomine scripsit die 6. Augusti P. Antoninus Reginaldus Ord. Prædicatorum, ad facti veritatem inquirendam. His acceptis literis, sequens Instrumentum intravit primo Facultas Duacensis, Lovaniensi doctrinæ communione conjuncta, die 10. Julii anni 1648. quo quæsitis ante Lovaniensibus Theologos factis.

Cum ad Facultatem S. Theologie Universitatis Duacensis pervenerit, sparsum esse Tolofæ, & alibi, eam in materia de Auxiliis, & Gratia Christi mutasse sententiam, & ab antiqua, quam in sua Censura anni 1587. quondam tenuit, retrocessisse; insuper illam Censuram solum ab aliquibus Professoribus, male affectis Societati, aliis obventibus, editam fuisse; nec non auctores dictæ Censuræ coactos fuisse eam retrahere, Summumque Pontificem eam damnasse: Volens huic sparsæ rumori obviare, & veritatem omni, volenti scire, manifestare; congregata pariter in secola publica die 10. mensis Julii 1648., nullo Magistrorum ipsius contradicente, tota Facultas uniformiter declaravit, & testata est, hæc esse falsissima: & ultra, se semper tenuisse, & nunc de presenti tenere; semper persistisse, & nunc de presenti persistere in sua antiqua sententia, quam in dicta Censura tenuit, & ibi declaravit; nec unquam ab illa sententia discessisse, nec in posterum, Deo favente, discessuram; nisi forte per Summum Pontificem aliud definiatur, aut a S. Romana Ecclesia (cujus censura, & correctioni omnia in prædicta Censura contenta, & quelibet alia a se dicta, & in posterum dicenda humiliter subjicit) aliud tenere ei precipiatur. Permissit quoque prædicta Facultas, ac voluit, copiam hujus Actæ omni, volenti habere illam, dari, & ad quascumque partes transmitti.

De

De mandato D. Decani, & reliquorum Magistrorum Facultatis Theologie Universitatis Duacensis, dictæ Facultatis Bedellus juvenis ANTONIUS BIEULOT.

Lovanienses autem Theologi, datis ad Duacenses gratulatoriis Epistolis, avitam Censuræ doctrinam innovarunt, Jesuitarumque in falsis rumoribus diffeminandis artes acriter stylo infectati sunt in hunc modum:

Multum nos exhilaravit evulgatum nuper sub nomine vestro Manifestum, antiquo nostro Manifesto gemellum, quo adversus malignantium susurros Orbi Catholico norum scissis, Facultatem vestram unanimi consensu in veteri sue causæ doctrina, quæ & nostra est, constanter persistere. Sed illud miramur, atque etiam dolemus, quod non simul adversistis, tam facile potuisse amulos de nobis mentiri vobis, quam in causa Censuræ vestre mentiri sunt Tolofanibus; aut in causa approbationis Alri inexistenti mentiri sunt Germanis. Imitantur illi priscos suorum dogmatum patronos, quibus solenne fuit ad mendacia consurgere, quoties id causa ipsorum exigeret. Non vos latet, quomodo Pelagius heresarcha synodum Palestinam circumveniret, atque ab Antiphilibus, stropharum ejus ignavis, absolutionem surripuerit. Nobis etiam, quod Godefridus Zorzinum Papam prius deceperit, & accrimas ab eo literas contra accusatores suos ad Africanos Episcopos extorsit. Scitis, & Cassianum, Semipelagianismi Architectum, palam docuisse, ac literis consignasse, mendaciam veluti helleborum. Nec latet vos, Faustum, Semipelagianismi reparatorum, anatematismos suos sub Arelatensis Synodi nomine divulgasse. Hæc, & his similia docere nos presumimus, qui omnia accuratè ipsi nobis. Istorum itaque veteratorum hereditibus nulla fides in propria causa adhibenda est: dignum quippe est, ut quorum sequuntur sententiam, insistentur astutiam. In presenti vero materia, si vel unum articulum eis concedatur, universa catena indurvisse subsequetur; quia notum est, ut monet Prosper, ita se falsitatis illius habere versutias, ut, si eis liceat, præterita correctionis imagine aliquod sibi faventium radicis sue germen excipere, totam se posse arbuventur in exigua sui parte reparare. Hinc considerare nobiscum dignemini, quanto periculo exponatur Facultatis vestra, & nostra Censura, si vel unum apicem Augustiniana doctrine Semipelagianorum affectis dimittatis. Quod non hypocritarum obreantur insidiis, confidimus Domini protectione, hæc vestra nobiscum sedula collaboratione præstandum; quemadmodum olim propugnatores gratiæ de ejusdem impugnatibus triumpharunt, ita nunc illorum clientes de istorum sectatoribus triumphent. Quo voto finientes, omnem prosperitatem almae cœtui vestro precamur. Lovanii hæc die 21. Decembris 1648.

Nec satis fuit Doctores Lovaniensibus senta sua his Epistolis aperire; sed ut postulat ab Academia Tolofana facerent satis, Censuras suas sequenti Instrumento, anno sequenti, videlicet 1649. confirmarunt.

Nos sacre Facultatis Lovaniensis Doctores toti Orbi Christiano testatum facimus, nos Sacras Scripturas, Concilia, & SS. Patres eo sensu, & modo recipere, ac interpretari, quo Sancta, Catholica, & Romana recipi, & interpretari Ecclesia, quam veritatis Magistrum esse, agnosimus. Signanter vero Bullam S. Pii V. amplectimur, & observamus. Inter Sanctos autem Patres, more Majorum nostrorum, S. Augustinum præsertim in materia gratiæ Dei, & humane libertatis contra Pelagianos, Dei præconite lumine, & Ecclesia Romana ductu, exacte sequi, nec latum unguem a vestigiis ejus desistere, unice studemus.

Belgarum quoque Universitatum Lovaniensis, & Duacensis, a sexaginta jam circiter annis Censuras

adversus P. Leonardum Lessium, & P. Joannem Deckerium, aliosque Societatis S. Theologie Lovanii, & Duaci Professores; denique quiddam postea Clemens VIII., & Paulus V. in celebri disputatione Romana contra Ludovicum Molinam, & sectatores ejus censuerunt, exscolamur, & Dei gratia firmiter tenere conamur. Quicumque de nobis aliter publicent, pro mendacibus, & calumniatoribus habebimus, & si opus est, tales eos esse, publice judicio contradictorio sustinebimus.

Demum, cum anno 1677., favente Rege Catholico, Deputatos suos, MM. Franciscum Van-Vianen, & Christianum Lupum Augustinicum, adjuncto Martino Steyact, Romanæ delegasset Academia Lovaniensis, ad plurimum laxioris Moralium dogmatum damnationem promovendam; rursus fidem suam, ac religionem in materia Gratia testandam judicavit. Quapropter sequens Instrumentum, elapso biennio, ad prædictos Deputatos direxit, illud Summo Pontifici exhibiturus.

Notum sit omnibus hac visuris, quod Facultas Theologica Lovaniensis, sub juramento 19. Aprilis 1679. in Collegio Arelatensi legitime congregata, post maturam deliberationem, de unanimi Magistrorum Regentium consensu, declaraverit, & declararet, doctrinam Majorum suorum de Prædestinatione hominis lapsi, & Ancilliis, ac Gratia Christi, in iustitia, cui titulus: Censura Facultatis Sacre Theologie Lovaniensis, & Duacensis; & altera iusto, cui titulus: Justificatio, seu Defensio Censuræ Facultatis S. Theologie Academicæ Lovaniensis, contentam; illam ipsam esse, quam tenuit, & hæcenus tenet, quæque S. Sedi per Deputatos suos representatam desiderat.

Declarat insuper eadem Facultas, se præstatam doctrinam Apostolicæ Sedi, tanquam Ecclesiæ totius Magistrali, prout par est, suisque Majores fecerunt, tota devotione submittere; præstans, quod quidquid desuper decernendum, præstibendumque censuræ ejus vocem, non secus atque a B. Petri Cathedra præstatam, obedienter, reverenterque suscipiatur sit, & observatura. In quorum fidem hoc presens instrumentum expediri, sigillo suo muniri, & Decani sui, ac etiam Bedelli manu subscribi curavit. Datum Lovanii die, mensis, anno, quibus supra.

Sed & ante paucos annos novam doctrinæ, ac sententiæ suæ fidem dedit Academia Duacensis, suorumque emulorum artes delusit, dum eam illi deludere molirentur. Prodiert non ita pridem liber, Gallicè inscriptus: Apologia historica gemine Censuræ Lovaniensis, & Duacensis: qui nonnullis earum Academicarum, & Censurarum Oforibus, ultra quam dici potest, stomacho fuit.

De Auctore igitur, uti violatæ charitatis, ac paciis reo, expostularunt coram Academia Duacensi, quam sibi, ex quo tempore in Regis Christianissimi ditionem venit, paulo æquiorum futuram ominabantur. Damnationem occulto illorum nomine urgebat Henricus de Cerf, eo potissimum nomine, quod contra Concilii Tridentini statuta librum vulgasset absque illa Doctorem, ac Theologorum approbatione; tamen eo collimarent omnia, ut, si quod in librum ipsum iis de causis judicium ferret Academia Duacensis, hoc in Censuras ipsas, quarum complectebatur Apologiam, pronunciatum dicerent, ac instar publicæ palinodie venditarent. Malis avibus cœpta res felicibus exit: Ita quippe viri Theologi, actorum fraudem subodorati, judicium temperant suum; ita Concilii Tridentini legibus consultum volvere, ut Belgicæ Censuras nedum in tuto ponerent, sed nova etiam confirmatione roborarent. Quo nunc excepto, ceciderunt animo fervidi Actores, qui pristina vulnera novo judicio refricari cernerent.

La-

(1) Pallav. Hist. Conc. Triad. lib. 15. c. 7. Tolæus. Fossivinus in Appar. Valer. Andreas in Bibl. Belgica. Le Mire. Mureti in Dictæ hist.

Lateret etiam nunc Academia Decretum in fecretoriis Tabulis, publicis nunquam typis, opinor, edendum, nisi aliorum cura prodidisset in scripto, cui titulus: *Memoires importants &c. Latine, Magni momenti Commentarii &c.*

Cum in manus Facultatis Theologicae Universitatis Duacensis, pervenerit liber, cui titulus: Apologie historique des deux Censures de Lovain, & de Douay, Colonia, ut praefatur, sine ullo approbationis indicio, contra dispositionem sacrosancti Concilii Tridentini, sess. 4., typis editus; Congregata tota Facultas omnibus declaravit, & hoc suo scripto restatum voluit, supradictam Apologiam a se non probari, sed plura in illa improbari: quippe que non solum Christianam charitatem ledat, sed & hinc periculum sit, ne graves animorum dissensiones, a centum annis in hac Universitate exorta, & per Edictum Illustrissimi Nuntii Apostolici Octavii, Episcopi Calatini, feliciter sopita suscitentur. Cujus Edicti auctoritate deinceps effectum est, ut Facultati Theologicae, & Patribus Societatis Jesu, hic Theologiam professentibus, in materia de Auxiliis, & Scientia Dei, sua utrinque manserit sententiæ, & docendi libertas, ut loquitur Calatinus in secundo Edicto, in unitate fidei, & vinculo pacis. Declaravit insuper eadem Facultas, quod, sicut antecessores suos secuta, a damnatis erroribus Baiti, & Janfoni immunis hactenus fuit; ita Majorum suorum vestigiis insistens, perseveret in antiqua de Scientia Dei, de Prædestinatione, & efficacia Gratiae doctrina, qua in libro, cui titulus est: Censura Duacensis (a S. Sede Apostolica nunquam proscripita, aut improbata) continetur. Cumque S. D. N. Innocentius XI. die 2. Martii 1679. in virtute sanctæ obediencie omnibus præceperit, cavere ab omni Censura, & nota, necnon a quibuscumque convitiis contra eas propositiones, que adhuc inter Catholicos hinc inde controversantur, donec a S. Sede super istidem propositionibus iudicium proferatur; sperat eadem Facultas, futurum, ut pacem illam firmam, & integram servent hujus Universitatis Theologi. De mandato Decani, & Magistrorum Facultatis S. Theologiae Universitatis Duacensis, Ego FRANCISCUS SARAZIN ejusdem Sacrae Facultatis Bedellus juratus, & Notarius Apostolicus subscripsi die 21. Januarii 1690.

FRANCISCUS SARAZIN S. Fac. Theol. Bedellus, & Not. Apost.

Ex illis instrumentis, & Lovanienfis, & Duacensis Academicarum Commentariis summa fide petitis, aequi rerum aestimatores intelligent, non Baiti dumtaxat ætate, sed omnibus subinde temporibus (ut nihil hic de superioribus dicam) eam fuisse, ac etiamnum esse Belgicarum Academicarum doctrinam, quæ lata in Lessium Censura signatur; ineptumque profus convitium esse, quod hac in causa de Bajanz factionis artibus pullo fundamento vulgatum est.

## CAPUT VIII.

Censurarum Belgicarum Auctoritas asserta, & commendata.

Quæ hactenus de Belgicis Censuris, ac de illarum præsertim renovationibus superiori capite diximus, earum afferendæ auctoritati satis superque sufficerent, nisi cum his rem haberemus, quos non tam rationibus adducere, quam obruere necessum est. Felices satis, si vel obruti veritati cedant!

Certe, dum Censuras suas annis 1613. 1648. 1649. 1679. 1690. Lovanienfes, ac Duacenses

solemnibus instrumentis renovarunt; res toti Republicæ Christianæ innotuit; seu solemniter illa per se, seu illam clamoribus, ac querelis eorum hostes ubique buccinant. Ut quid igitur Censuras, jam prædamnatas Sedis Apostolicæ iudicio, impune renovari sivit Ecclesia? Quid causæ hujus implacabiles, & indefessi Actores sacre legum, ac temerarium ausum Apostolicæ Sedi non detulerunt, ut comprimerentur proscripitarum Censurarum renovatores? Aut certe, si detulerunt, cur nihil obtinuerunt? Et quidem non alia ratione annis 1648., & 1649. renovata, ac denuo firmata Censurae sunt, quam quod Jesuitæ Tolosani publice jactitarent, illarum Auctores palinodiam decantasse, & a Romano Pontifice damnatos fuisse. Postulabat itaque Pontificiæ majestati debita reverentia, nec non Societatis, quæ hac in re calumniæ postulabat, honos, ut ab Apostolica Sede digna animadvertione præferrentur Academia, & in conculcata, spreteque Pontificiæ damnatione, Censuras suas sic perfracte, sic obstinate, sic proterve renovassent, ac confirmassent.

Verum accedunt alia bene multa, quæ eorumdem Censurarum confirmationis loco sunt habenda.

Cum primum illæ juris publici factæ sunt, a majori Inferioris Germaniæ Episcoporum parte comprobatae fuere; ac, nisi totius causæ cognitionem ad se vocasset Romanus Pontifex, Concilii nationalis iudicio uti Sempelagianam proscripita fuisset Societatis doctrina. Id Societatis ipsius testimonio comprobavimus Cap. 3. Tot vero Episcoporum iudicia inlar vultulentissimæ approbationis haberi, religio vult, quæ docemur, Episcopos, a Spiritu Sancto positos ad Ecclesiam Dei puræ, ac sanctæ doctrinæ pabulo nutriendam, ac pro Ministerii parte regendam. Ac licet causam sibi Sixtus V. adreverit, rebus in suspenso positis; quantum tamen definitiva sententia expectatur, summi momenti semper est primæ sententiæ præiudicium.

Facit etiam plurimum diversa Leonardi Lessii, & Auctorum Censurarum apud Romanos Pontifices fortuna. Prior quidem proscripse doctrinæ patronus, re ad Sixtum V. delata, acrem sustinuit suæ temeritatis reprehensionem, uti Capite 4. monimus. Henricus Gravius et contra, Censuræ Lovanienfis Auctor, ab eodem Summo Pontifice ob exquisitam eruditionem adscitus, a Gregorio XIV. ejus Successore honorifice in Aula exceptus, ac Bibliothecæ Vaticanæ, & Apostolicæ Typographiæ Præfexus edit institutus: Eminentissimis Cardinalibus, ac præsertim Sancto Carolo Borromeo, & Cæsari Baronio ob egregia merita charissimus fuit; ac paulo post præmatura morte ereptus, illud obtinuit Epitaphium, quod ejus Tumulo mœrens apposuit Cardinalis Baronius, in ejus pietatis, ac doctrinæ perenne monumentum.

## D. O. M.

Henrico Gravius, eximie probitatis, spectatæque eruditionis Viro, Quem, post quatuor lustrorum in florentissima Lovanienfi Academia S. Theologiae publicam professionem, Sixtus V. Pontifex Maximus, insignis eruditionis ergo, Romanam evocavit: Gregorius XIV. in Pontificiam Aulam excepit: sed amplius dignum honoribus Christum in Cælum evexit, die 11. Aprilis, anno 1591. ætatis suæ LV.

Nec minus probata Romæ fuit Guillelmi Estii, Censuræ Duacensis Auctoris, eruditio in eo ipsa de quo nunc agimus, argumento. Sententiam enim de

de controversis divini gratiæ questionibus rogatus est sæpius ab Illustrissimo Archiepiscopo Armachano, quo tempore sub Clemente VIII. Romanis Congregationibus aderat Censorum primus, & Consultorum. Quod ex mutuis Epistolis, suo infra ordine referendis, compertum est. Interim dicant Censuram Ofores, qua forte tanti est habita Estii de Divina Gratia doctrina, ut consuli propterea a Romanis iudicibus mereretur, si jam fuerat illa damnata, eoque ipso Anathemate percussa, quo Censuram Duacensem petitam comminiscuntur?

Accedit in Belgicarum Censurarum commendationem, quod in Lovanienfis Academiae Tabulariis legitur ad annum 1593. mense Junio. Tunc quippe operam omnem Societas posuit, ut latarem ab anni circiter quinque Censurarum damnationem extorqueret. Concilii consilia Lovanienfis Academiae Eminentissimos Cardinales Madrutium, & S. Severinz Congregationis S. Officii Decanum, datis Epistolis, convenit; a quibus officioso responso donata est; Jesuitis vero, turpem respulsum passis, nihil pro voto concessum. Unde ergo tot strophæ, tot illi circuitus ad Censurarum damnationem urgendam, si jam erant illæ proscripse? Quo auspice tot inter adversantium machinas iudicium evaserunt, nisi sanam, orthodoxamque doctrinam complecterentur? Non ea fuit Lessianæ doctrinæ fortuna, quæ in Molinæ Concordia renascens, & ad tribunal Romani Pontificis delata, & in septuplici causæ cognitione discussa, toties selectis iudicibus, uti Sempelagianæ, notata, traducta, inulta est; tamen, certis rationibus intercedentibus, late sententiæ, iudicii instruiti promulgata suspensa sit, & in opportunum tempus dilata.

Verum nusquam melius, quam in Congregationibus de Auxiliis, commendatam legitur Censuram Lovaniensem, ubi, tamquam novis, reprobatis, periculosis, turpibusque opinionibus digne adhibita, commendatur. Rei fidem facit P. Gregorius Nunnius Coronellus, Congregationum Secretarius, in ea ipsa præcedentium Actorum Narratione, (1.) quam coram Paulo V. totius Congregationis nomine habuit, dum de resumendis Congregationibus actum est. Cum Doctores, inquit, Facultatis Lovanienfis verbatim excerptas tringenta, & eo amplius propositiones, a Professoribus Societatis in suis prælectionibus traditas in eadem Civitate Lovanienfi, diligenter considerassent, illas peregrinas, & periculosas iudicantes, habito hac de re maturo consilio, ne quid leviter, & temere credidisse viderentur, quosdam ex suis ad Professores Societatis miserunt, ut cum illis conferrent, & an prædictas propositiones pro suis vellent agnoscere, intelligerent. Cum autem prædicti Professores, illis inspectis, in sententia sua perseverarent; Doctores Facultatis graviter commoti sunt, quod sibi cerere viderentur, præcipuum illud de Gratia Christi, & divina Prædestinatione argumentum novis, immo jamdiu reprobatis, rejectisque periculosis opinionibus corrupti, & turpiter infecti. Unde ad illas dignam adhiberent Censuram.

Eodem illam elogio celebrat Cardinalis Baronius in exquisito Codice, propria ipsius manu scripto, in Cardinalis Ricci Bibliothecæ assertivo, cum hac prænotatione: Hæc, quæ sequuntur, sunt repta, excerpta, & scripta ab ipsomet Cardinali Baronio. Unde colligitur, quid ipse poterit sentire de sententia Ludovici Molinæ circa Prædestinationem, & Gratiam. In hoc scilicet agit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens de commendatione doctrinæ Augustinianæ in Ecclesia, quam

illam ipsam esse ait, quæ a FF. Prædicatoribus propugnatur, erroribus Faulsi opposita, de necessitate & contingentiâ, de occasione controversiæ de Auxiliis, de Molinæ propositionibus, quas magno critério expendit, & cum Sempelagianorum erroribus comparavit. In eo porro capitulo, ubi de controversiæ origine differit, ita scribit: *Universitas Lovanienfis Censuram edidit gravem, respondentibus Jesuitis. Universitas Apologiam luculentissimam condidit, replicantibus Jesuitis.*

Qua loquendi ratione satis inquit, quam alte de Censura Lovanienfi sentiret, quoque pretio ejusdem Defensionem haberet.

Sed & celeberrimæ Academiae Tolosanae auctoritas nullius ponderis esse non potest. At hæc Censurarum Belgicarum tanta fide, ac pietate patrociniū suscepit, quanto eas ardore insectati sunt Jesuitæ anno 1647., quo Tolosæ ea de re diffidium ortum est. Id ex ejus ad Lovaniensem Academiam Epistola colligere licet. In Academia nostra, inquit, est controversia inter Professores Theologiae, & Lectores Jesuitarum de gestis Lovanii, & Duaci annis 1586., & sequentibus, circa Censuram, a vestra Academia latam adversus propositiones Lessii, & Hamelli. Jesuitæ enim dicunt, Censuram illam non a tota Facultate Theologiae, sed a privatis quibusdam Doctores sibi insensis, & propter Michaelis Baiti condemnationem odio percitis, emanasse; atque illam ipsam nedom Decreto Nuntii Apostolici, verum etiam Diplomate Pontificio fuisse rescissam. E contra vero sacra Theologia Professores asserunt, rem multo aliter se habuisse.

His robor addit, & quidem maximum, Alexandri VII. suffragium. Dum lata contra quinque famosas Propositiones Summorum Pontificum iudicia promulgari cœperunt, nihil ita Societati cordi fuit, quam Belgicarum Censurarum doctrinam hoc telo petitam concludere. Hac de causa ad Alexandrum VII. scripsere Lovanienfes die 20. Martii 1660. eam se de Gratia, & Prædestinatione doctrinam profiteri, quam a Majoribus acceperant, quamque ipsi, editis contra Lessium, & Hamellium Censuris, ad Sixtum V. transmississent. Addiderunt, se quoque paratos esse, illam secundo Romam transmittere, Sanctitatis suæ iudicium excepturos. Ut magis, inquebant, sinceritas nostra teat, doctrinam de Gratia, & Prædestinatione, quam readimus, & a Majoribus accepimus, quam & illi olim ad Sixtum V., Prædecessorem vestro Sanctitati, transmississent, vestre quoque Sanctitati, si ita visum fuerit, illico transmittere, ejusdemque subsecuturo iudicio per omnia nos conformare, promptissimis animis pollicemur. Quid porro respondit Pontifex? Transmissam illam ad Sixtum V. doctrinam ab illo ipso proscripam esse, nec ultra propugnandam? Aut certe eam, datis nuper ab Innocentio X., & a se ipso Constitutionibus, prædamnata esse; nec ideo ulterius afferendam? Ita profecto responsurus erat, si vera foret Societatis in Lovanienfes, & Duacenses criminatio. At nihil minus: quin potius assertam in ipsorum Epistolis doctrinam Responso suo commendavit; eosque, ut illi hærerent firmiter, est adhortatus. Sic quippe in Brevi sub die 7. Augusti. Non dubitamus, quin vos pro singulari scientiæ, pietatisque studio, sanam, & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes, & Sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplecturi, & adversus Orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis: nec non præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorem, Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impense revereri velit. Quorum profecto Sanctissimum Vi-

vorum

rorum penes Catholicos universos ingentia, & omnem laudem supergressa, nomina novi præconii commendatione non egens. Quæ usque adeo Lovaniensis Academia invidis stomacho fuere, ut nonnulli, in furorem, ac rabiem velut acti, in impias istas voces eruperint, laudatum Breve per diabolicam machinam fuisse impetratum; alii Pontificem nunquam Breve illud privatum vidisse, interposito etiam juramento, contestari non erubuerint. Quos digne pro suis meritis retundunt Christianus Lupus in Epistola Apologetica de Attrit. & Contr. cap. 5. Vincentius Baronius in Opusculis part. 4. lib. 2. Sect. 2. art. 5. paragr. 1. Gabriel a S. Vincentio lib. de Remed. ignor. disp. 14. dub. 9. num. 149. Henricus de Noris in Vindiciis Augustini. c. 6. Raymundus Capisucco in Appendice, Antonius Masfoulié tom. 2. dissert. 4. quæst. 3. art. 1. qui etiam Cardinalis Nerli, Alexandro VII. a secretis, a quo Breve, jubente Pontifice, fuerat editum, fidem appellat. *Quod quidem diploma (ait inter prælaudatos Cardinalis Capisucco) ab eodem Alexandro perlectum, observatum, commendatum, & probatum fuit, cum sibi annulo Piscatoris signandum exhiberetur a Francisco Nerlio, Brevis ad Principes tunc Secretario, postmodum S. R. E. Cardinali, ut idem Cardinalis Nerlius mihi restat est.*

Luculentissimum quoque Censuris Belgicis testimonium perhibere viri omnium gentium eruditissimi, qui vel eas data opera propugnarunt, vel eas, ut insigne Augustiniana doctrinae monumentum, laudare. Earum in primis Auctoritatem, in disputationibus coram Clemente VIII. plaudente, ac probante sacro confesso, laudavit, ac totius Ordinis Prædicatorum nomine defendit Thomas de Lemos die 5. Maii anno 1603., & 22. Martii 1604., & Bastidam, earum vim effugere tentantem, durius exagitavit; ac demum in editis Operibus de divina Gratia eadem impense commendavit tom. 1. p. 1. tr. 6. p. 126. & part. 2. tract. 3. pag. 102. rursus tract. 5. pag. 287. & 288. Clarissimus Franciscus Pegna, Rota Romanae Decanus, illas cum cæteris Censuris Hispaniæ perenti Paulo V. obtulit die 5. Octobris 1605. easque, veluti purioris doctrinae monumentum, dato libello supplici, commendavit. Eandem passim in scriptis suis de divina Gratia probavit Didacus Alvarez, Archiepiscopus Traneusis, ac ea in Epistola, qua anno 1631. earum authentici transumptum sibi ab Academia Lovaniensi transmitti rogavit. Non ab simili modo doctissimus Guilielmus Gibieuf, Doctor Sorbonicus, & Oratorii in Gallia Presbyter illarum defensionem nervose suscepit in erudito Opere de Libertate Dei, & creaturae, quod, hortante Eminentissimo Cardinali Berullio, edidit, & Urbano VIII. nuncupavit. Ac licet multis artibus in Curia Romana tentarint adversæ doctrinae Vindices, ut tam eruditi Operis damnationem extorquerent, illæsum tamen evasit. His addere licet Abrahamum Bzovium ad annum 1587. Vincentium Baron. Theologiae Moralis part. 1. disp. 1. sect. 5. §. 4. Carmelitas Salmanticenses, Joannem a S. Thoma, Joannem Baptistam Gonet, Vincentium Contentonium, Carolum ab Assumptione, Thomisticum Triumphi Auctorem, Franciscum Macedo, Lud. Thomassinum, Antonium Masfouliéum, aliosque bene plurimos Theologos, quorum in Ecclesia venerandum nomen est, & scripta rite probata: qui Censuras illas, uti Augustiniana de divina Gratia doctrina speculum, commendarunt.

At quid in congerendis commendationibus immorari necessum est? Si fuerint Belgicæ Censuræ damnatæ, eas nobis in librorum prohibitorum indicibus notatas ostendant; & ultro gradum refere-

mus. Prodiit primum Sixti V. Diploma Pontificium, quo librorum prohibitorum index accuratissimus continetur, anno 1590. Rursus Urbanus VIII. plurima de divina Gratia prohibuit opuscula anno 1643. Longe plura hoc de argumento Innocentii X. Decreto prohibita sunt die 23. Aprilis 1654. Alia ab Alexandro VII. die 6. Septembris 1657. notata fuere. Rursus sub Clemente X. anno 1670. prodiit librorum prohibitorum Romanus Index; ac demum sub Innocentio XI. 1683. Mirum, quanta diligentia in omnes de divina Gratia lucubrationes Romani Judices inquisiverint adeo ut aliquas vel eo solum nomine prohibitas videas, quod suspectæ forent, sopitæque controversas refricarent. Verum Belgicæ Censuras nusquam notatas videas; tametsi Romani Censoribus essent illæ notæ per sese, iteratiquæ renovationibus notiores, ac (si hoc ultimum addere liceat) amulorum perpetuis querelis, strophis, criminationibus longe notissimæ.

Demum non modo damnatas non esse, latas in Lessium, & Hamelum, Censuras Belgicæ, sed nec æquo jure damnari potuisse, colligitur ex earum cum Hispaniæ in Molinam adornatis collatione. Etenim, ubi primum Belgica controversia Ludovici Molinæ novitatibus in Hispania recruduit; Censuram Belgicis plane germanam, ne dicam duriorum, edidit Fratres Prædicatores, de qua suo loco dicemus. Hæc porro in primo examine Congregationum de Auxiliis solemniter probata est anno 1598. & 1599., & Molinæ doctrina proscripta. Pariter Universitates, & Episcopi Hispaniarum, a Cardinali de Quiroga, Inquisitore generali, sententiam rogati, Censuras Belgicis nihilo mitiores dedere; quas Romani Judices, a Clemente VIII. præpositi, suo calculo comprobant, uti loco suo ex Actis demonstrabimus. Non finit autem Romani Judicii æquitas, ut Lovanienses, ac Duacenses Censuras damnari potuisse patentes; iis e contra probatis, atque firmatis, quarum una est, eademque doctrina.

Faceant itaque putidissimarum fabularum venditores; idque eos in vulgus spargere pudeat, quod nedum celeberrimarum Academicarum fame, sed & Romanorum Pontificum aequitati palam, aperteque injurium est.

## CAPUT NONUM.

*Censurarum Belgicarum Orthodoxia Romæ sub Innocentio XI. secundum Curiam morem approbata; hoc est, Censuram judicio commissa, illæsa prodiit.*

Facit plerumque adversariorum pertinacia, ut quæ per sese in occulto lateret veritas, eadem publicam in lucem clarior prodeat, & apertius, quia quo plus huic oppugnandæ studium adhibent, eidem probandæ, & afferendæ magis adnitimur. Id Censurarum Belgicarum occasione gestum animadvertimus. Perpetuis namque Societatis criminationibus appetita Lovaniensis Academia, ad Apostolicam Sedem iustæ defensionis necessitate confugit: selectos Theologos, Franciscum Van-Vianen, & Christianum Lupum, adjuncto Martino Steyaert, anno 1677. Romam delegavit; ut Innocentii XI. iudicium de Belgicis Censuris rogarent, plurimumque laxioris Moralis propositionum damnationem urgerent.

A Moralibus exordium duci voluit Sanctissimus Pontifex; quibus tandem solemniter Decreto proscriptis, atque damnatis, ad Censurarum examen studium converterent dignissimi Deputati. Eas Sanctitati suæ una cum recentioris renovationis instrumento tradidit anno 1679., enixe rogantes, ut de iis, ad malevolorum calumnias propul-

andas, sententiam diceret. Hæc una fuit Doctissimorum Deputatorum expositio. (1)

Quod enim præfidenter obrudit Tellerius, postulasse illos, ut Sixti V. Decretum, contra Censuras latum, rescinderetur, aperta calumnia est; cum nullum in eas a Sixto V. latum Decretum, semper contenderint Lovanienses, nullumque re ipsa unquam extiterit, cujus rescissionem postulare necesse esset.

Exceptis a Deputatorum manu Censuris Belgicis, Pontifex Maximus negotium Congregationi S. Officii remisit, quæ statim illas examinandas dedit selectis Theologis, Raymundo Capisucco, S. Palatii Apostolici Magistro, Dominico Mariae Puteobonello, Romano, & Universalis Inquisitionis Commissario, Nicolao Mirabella, & Laurentio de Laurea; è quibus primus, & ultimus ad purpuram non multo post, pro maximis in Ecclesiam meritis, assumpti fuere.

Post accuratum trium, & amplius mensium examen, iudicium S. Congregationis retulerunt; Censuras orthodoxas, sanas; nulli damnationi obnoxias, inoffenso pede percurrere posse, pronuntiarunt; ac tandem die 9. Junii, Illustrissimus D. Piazza, Assessor S. Officii, nomine Eminentissimorum Cardinalium, Inquisitorum Generalium, Lovaniensibus Deputatis significavit, posse illa tuto legi, atque doceri: tametsi, repugnantis sacra Congregationis moribus, nullum lati iudicii authenticum documentum, iis, rogantibus licet, & instantibus, consignaverit.

Adversarii, quibus nihil unquam fateri religio est, quod Societati minus accommodum sit, quantalibet facti evidenter conser, examinatas ea occasione Censuras Belgicæ fatentur, at probatas inficiantur.

Verum, etsi nulla nobis suppetere testimonio, quibus rem ita gestam, probatæque ea occasione Censuras, probare possemus; id nobis sufficeret unum, quod fuerint Romano Pontifici delatæ, quod rigorosè trium, & amplius mensium examine a Curia Iudicibus discussæ sint, nec tamen edito Decreto proscriptæ, atque damnatæ. Quotquot enim Romana Curia, ac præsertim Generalis Inquisitionis praxim vel leviter norunt, certo sciunt, non aliter ab eis sententias, propositiones, aut libros approbari: sic ut censetur approbatus liber, dum iudicio delatus est, & agnita causa, lectus, discussus, prodit illæsus, nullo Decreto, Censuræ proscriptus. Approbationis authenticum in scriptis documentum nusquam conceditur, ut hominum, ex omni re accusandi, & calumniandi materiam arripientium, artes effugiant: licet e contra sententia damnationis non nisi publico Decreto pronuntietur. Jesuitarum igitur est, Romana Inquisitionis Decretum, ea occasione datum proferre, quo fuerint Censuræ proscriptæ; siquidem eas examinatas fatentur: quod quia certe non possunt, illas Romanæ Curie stilo probatas esse, censendum est.

Sed nec aperta, scriptoque consignata desunt instrumenta, quibus probatas ea occasione Censuras Belgicæ demonstremus: non quidem Romani Pontificis, aut S. Congregationis Decreta, quæ nulla pro Librorum Approbatione conceduntur: sed Virorum, fide dignissimorum, testimonia, quibus illas post maturum examen intactas evasisse, & ita a S. Officii Assessoris Deputatis Lovaniensibus significatum fuisse, conficitur.

Id in primis ostenditur ex Epistola duorum Deputatorum, Christiani Lupi, & Francisci Van-Vianen, ad D. Scallæ, S. Facultatis Lovaniensis Sery Tom. I.

(1) Apolog. pro novis Christi. pa. 336. Edit. t. (2) Verba hæc adeoque & imprimi, non nisi ad Assessoris dicta referuntur; sed ab ipsis Epistola auctoribus, uti priorum consuetudinem, aliterunt; cum minus ad Pauli V. & Urbani VIII. leges attendent.

tunc Decanum, data Romæ die 10. Junii 1679. ubi ita narratur gestorum series.

Dum venimus ad aliam Urbem, sive Sanctitati meæ proposuimus quæstiones, & articulos duplicis generis, Morales, & Dogmaticos, tangentes divine gratiæ auxilia, ac Decreta, adversum quos Adversarii nostri declamabant variè, & nos variè accusabant. Verum primates sive Sanctitatis Ministri illos disparatos articulos noluerunt accumulari: voluerunt, exordium duci a Moralibus. Et ita fecimus: & circa morales articulos laboravimus per integrum sex biennium; & tandem impetravimus Decretum condemnatorium sexaginta quinque articulorum. Communi omnium Qualificatorum, ac etiam DD. Cardinalium suffragio damnati sunt insuper alii triginta tres. Decretum prodiit, dum placuerit Sanctissimo Domino. His expletis, perreximus ad secundam speciem. Sive Sanctitati in manus proprias dedimus Lovaniensium, ac Duacensis Sacra Facultatis Censuras, necnon Lovaniensium Censuræ Justificationem, scripto Libello supplicantes istorum omnium Apostolicum examen, & approbationem. Addidimus, istis Libellis compendiose contineri doctrinam, quam Majores nostri a tempore Eugenii IV. S. Pontificis, qui Theologicam Facultatem erexit Lovanii, docuerunt. Et Sive Sanctitas Libellos transmisit ad examen S. Officii. DD. Cardinales examen delegarunt quatuor Theologis, nempe Magistro sacri Palatii, Commissario S. Officii, R. P. Laurentio Laurea Ordinis Conventualium, & R. P. Nicolao Mirabella Theatino, His, elapsa septimana, suum iudicium retulerunt sacra Congregationi. Censuerunt, Libellos esse sane doctrinae, nulli Censuræ obnoxios, posse tuto doceri, & legi, adeoque & imprimi. (2) Attamen super his nullum voluit sancti instrumentum, aut dare testimonium. Ita hodie in Apostolico Palatio nobis dixit Illustrissimus D. Assessor S. Officii, cui ad colloquii finem adiunxi: Illustrissime Domine, Libellos noster dicere poterit: Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. Et ille reposuit: Si esset iniquitas, non transiret... Infra scriptum erat.

## F. CHRISTIANUS LUPUS.

*Idem restor FRANCISCUS VAN-VIANEN.*

Quanta sit huic narrationi præstanda fides, dubius ex capitibus colligere licet. 1. Quod Virorum publicæ auctoritatis nomine prodeat: quippe erant illi ab universa Lovaniensi Academia, patrocinante Rege Catholico, deputati. 2. Quod in Romana Curia publice versarentur, dum hæc scripto retulerunt; quos propterea, ut violatæ publicæ fidei teos, traduxissent Inquisitionis Romanæ Judices, ac præsertim Illustrissimus D. Assessor, si eis fiditum, ac plane contrarium de Censuris Belgicis iudicium affinxissent: cum potissimum Narratio hæc typis edita ubique a Lovaniensibus proderetur, nec Romanos Judices fugeret.

Rursus probatas ea occasione fuisse Censuras, ostenditur ex Brevis Apostolico Innocentii XI. ad Lovaniensem Academiam dato die 17. Junii 1679. Sed quia Breve istud est Apostolicum rescriptum ad Litteras, quas Sacra Lovaniensis Facultas ad suam Sanctitatem die Maii undecima ejusdem anni dederat, operæ pretium est; has Responsa ipsi præmittere, cui nempe lucis non parum sunt allatura. Has igitur representamus, ex ipsis Sacra Facultatis Actis descriptas.

D. SAN.

## SANCTISSIME PATER.

Exultavimus, & præ gaudio quasi reviximus ad conspectum Orauli Vestri, quo 65. Propositiones e scholis Theologicis proscripserit, ac eliminavit. Erupimus in gratiarum actione primo ad misericordissimum Deum, qui Spiritu Sancto suo Sanctitati vestre animam, & robur indidit; nunc totis eas precordiis effundimus ad pedes Sanctitatis vestre, que tot adire labores non detrectavit; ad aperendam toti Ecclesie veritatem, & viam pacis, pacis autem tam diu exoptate. Neque hic stetit insatiabilis amor pacis, quo Sanctitatem vestram apprime flagrare, tum Deputatorum nostrorum scripto, tum reipsa comperimus. Nam, ut hæc plenus stabilitur, etiam Facultatis nostre doctrinam de Gratia, comprehensam libello, a Majoribus nostris scripto, suscepit, examini quoque subjiciendam curavit. Summi porro momenti semper existimavimus in ordine ad fidem, & mores in Ecclesia, pro virili animi assequendam, & tuendam doctrinam Divi Augustini de Gratia, Ob! quam impares sunt qualescumque gratiarum actiones nostræ ad tam ingentia beneficia! Solus Deus digna merces vigilantie tante. Speramus hæc via redituroam pacem inter Theologos harum regionum, quin & Ecclesie universæ. Ut feliciter oriatur, duo e Deputatis nostris, aut saltem eorum alter in Urbe permanens est, qui sive in hac materia, sive in aliis, que ad elucidandam veritatem, aut conciliandam pacem spectare possunt, Sanctitatis vestre mandata excipiat, nobisque renuntiet, quibus nil cavius, quam amantissimi Patris, Summi quoque Pastoris nutus omnes observare. Ideoque, tanquam sinceri obedientie filii, ad pedum oscula prostrati, qua par est humilitate, Paternam Benedictionem petimus, apprecantes, ut ille, a quo omnis paternitas nominatur, Sanctitatem vestram annis, & meritis repleat, sospitetque; in quo voto nunquam finiendi permanemus.

## SANCTISSIME PATER,

Sanctitatis Vestre,

Humillimi, & obedientissimi Filii, DE-  
CANUS, & FACULTAS Theologica  
Lovanensis.

Quam gratæ acciderint optimo Pontifici Lovanensium Theologorum Litteræ, ipsum testatur Responsum, quod non diu post secutum est 17. Junii, ut jam observatum est, die, qui septimus erat a Censurarum examine, datoque de iis iudicio. En ipsum Breve.

## INNOCENTIUS PP. XI.

DILECTI FILII, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Excepimus perlibenter devotas animi grati significationes ob ea, que nuper ad sanam doctrinam tuendam, & pacem Ecclesie stabilendam, pro Pastoralis nostri officii debito decrevimus. Vehementer vos hortamur, ut in eundem scopum, ad quem sponte vestra paratos esse, & datis ad nos Litteris professi fuistis, & nos nunquam dubitavimus, zelum, ac studia vestra dirigere velitis; sicuti veteri illius insignis Universitatis pietate, institutoque dignum est. Deputatis interim vestris benevolas, sicut huc usque fecimus, aures, animumque præbeamus in omnibus, que ad vos rerumque vestrarum rationes pertinere, intellexerimus. Vobisque, Dilecti filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die

17. Junii 1679. Pontificatus nostri anno tertio. Quamquam porro aliam ob causam Breve illud dederit Summus Pontifex; si tamen superiori hebdomada Censuræ proscripserit fuissent, tantum abest, ut Doctoribus Lovanensibus scripturus fuisset, nusquam se de Academiæ zelo, ejusque ad sanam doctrinam tuendam affectu paratissimo dubitasse; quin potius obtulere se vehementius significasset, quod iniqua, erroneaque dogmata hoc in libello comperisset, quo omnem de Divina Gratia sententiam, doctrinamque suam contineri declararent, non modo per suos Deputatos, sed etiam per se ipsos tam in Litteris diu ante ad S. S. scriptis, quam in his ipsis, ad quas tunc respondebat Summus Pontifex. Tantum abest, ut pietatem, institutumque Majorum ipsorum ad exemplum proposuisset; quin potius ad eorum prava, periculosaque fugienda dogmata fuisset adhortatus. Tantum abest, ut eorum Deputatis benevolas aures semper se præbuisse, ac se deinceps præbiturum dixisset; immo vero eos, ceu malefarios, traduxisset, qui Sedem Apostolicam, ad proscripserit jam dudum doctrinæ approbationem extorquendam, dolo circumvenissent.

Hoc idem maxime confirmant, que post acceptam Deputatorum narrationem Lovanenses Theologi præsterunt, Triumphum scilicet de approbata Romæ Censuris palam, ac publice cecinerunt. Ad Eminentissimum Cardinalem Cibo, Congregationis S. Officii Decanum, atque ad integram Congregationem, ovantes scribere, ut de impensis sibi beneficiis, approbatisve Censuris, gratias agerent. Næ vero Theologos illos dementes, si res aliter cessisset, Censuræ proscripserit, non approbata fuissent! Aut certe, qui rem totam tractaverant, promovant, judicaverant, Cardinales Eminentissimi, an non eos, veluti de ficticia victoria ac fanatica Censurarum approbatione stulte delirantes, suis responsis retudissent, remque totam aliter accidisse, significassent? Id sane Congregationis, cui contrarium iudicium affinxissent, postulasset honos, id Christiana charitas, & promovendæ veritatis studium exegisset, ne sub ficticia Censurarum approbatione expressus in eis error serperet ambitiosus. At qua veritate suis Epistolis triumphum egere Theologi Lovanenses, eadem triumphis accinuere Eminentissimi Cardinales. Id totum mutuarum Epistolarum collatione constat, quas propterea subiungimus.

Epistola Academiæ Lovanensis, ad Eminentissimum Cardinalem Cibo data die 20. Julii 1679.

EMINENTISSIME, AC  
REV. DOMINE.

Sanctissimi Patris Oraulum adversus 65. propositiones Ecclesiam nostram Belgicam, immo totam mire intruxit: qua hoc ipsum, post primam Sedem, Charitati vestre, & vigilantissimo zelo acceptum refert, totidem titulis obstrictissima. Scit enim, (& nos speciatim, referente uno Deputatorum nostrorum jam reduce, & latius didicimus) quidquid sacra Congregatio strenue, & generose perfecit, hoc, aurigante sapientissima industria vestra, esse directum; quidquid Sua Sanctitas examinandum curavit, examinarumque decrevit, hoc, collaborante zelo vestro, inchoatum, promotum, completum. Suscepimus S. S. Decretum magna animi exultatione, sed tamen modesta, ne cui videremur insultare. Mutantur nunc in melius multorum iudicia, & praxes, mutatur Ecclesie Belgicæ facies, fructumque accipit uberrimum, pro quo rependat Deus Eminentie vestre mer-

cedem

cedem eminentissimam. Gratiarum actiones hoc voto potiores non habemus, nec requirit Eminentia vestra: quamquam nec dubitemus, insuper adscribere vigilantissimæ curæ vestre factum feliciter examen Libri, continentis Majorum nostrorum doctrinam de Gratia; cui hæcenus insumimus. Hæc est via pacis, ut tandem evanescent quorundam obreptiones, que nunc ab ipsa S. Sede deprehenduntur non fundatæ. Emin. Domine, suscipe qualescumque gratiarum actiones, sed vere ex intimis animi medullis effusas, cum sacra purpure submissa veneratione. Et si quid deinceps querelurum adversum nos ad aures suæ Sanctitatis, vel Eminentissimæ Gratia Vestra perveniat, oramus, dignetur nos verbulo; & speramus, nos ita exhibere, ut certo constet, quod verissime sumus S. S. Patris Domini Nostri filii, &c.

## EMINENTISSIME DOMINE,

Eminentie Vestre

Humillimi, & observantissimi Clientes, &  
famuli, DECANUS, & FACULTAS  
Theologica Lovanensis.

Epistola Academiæ Lovanensis ad Eminentissimos Cardinales S. Officii.

EMINENTISSIMI, ET  
REV. DOMINI.

Opportunitissimum illud suæ Sanctitatis, atque optatissimum Decretum, quo 65. propositiones proscripserit sunt, latere non sinit egregiam vestram operam, atque in ipsi dijudicandis laboribus indefessos. Videt nobiscum Orbis Christiani vestrum pro sana doctrina zelum, & constantiam; que quantum eminent in Eminentissimis vestris, specialius adhuc didicimus ex uno Deputatorum nostrorum jam reduce. Fructus uberes jam nunc sentit Ecclesia, speque alacri presentem longe uberiores. Habetis eam merito vobis obstrictam, habebitisque; sed præsertim in illa Facultatem nostram. Quas rependamus, pares gratias non invenimus. Verum, quod Eminentissimis vestris maxime cordi est, conabimur pro virili tam sanctæ intentioni vestre respondere. Oraulum illud, tanquam Cælo missum, cum veneratione, & modestia suscepimus; aliisque auctores sumus in dies, ut, eadem animi demissione susceptum, constanti obedientia teneant. Accessit cumulo beneficiorum, quod Eminentie vestre non detrectarint accurato examine discutere librum illum, in quo Majores nostri superiori seculo cum Duacena Facultate Theologica uniformiter suam de Gratia doctrinam clare expresserunt: que etiamnum nostra est; nihil enim nos novi procudere, publice profitemur. Verendum quidem, ne forte sint, qui diversa nobis assignendo, factaque speciose deserendo, pacem, quam speramus, perturbare machinentur; sed bene considerè jubet summa illa prudentia Eminentiarum vestrarum, nobis compertissima, que magis audiet publicas nostras declarationes, quam clancularis istas delationes: quales si quando in Urbem adveniant, obnixissime rogamus, moneri, promittentes, ingenue exponere, quod res est. Et si, quod abest, minus rectum quid deprehendatur, mutare animus est illorum, qui post sacrarum Purpurarum vestrarum cum omni submissione venerationem, & humillimas iteratarum gratiarum actiones, precamur Omnipotentem, ut Em-

Serry Tom. I.

nentias vestras Ecclesie suæ bono diu conferret, vet, sospitetque.

## EMINENTIARUM VESTRARUM

Humillimi, & obsequiosissimi Clientes, & Famuli,  
DECANUS, & FACULTAS Theologica Lo-  
vanensis.

Ac ne quis putet Curiam Romanam silentio duntaxat suo Lovanensium triumphis accinuisse (tameñ id per sese ad institutum satis foret) accinuit certe, quo clariori potuit modo, per Litteras, quas Innocentii Romani Pontificis XI. nomine ad Academiæ scriptis Eminentissimus Cardinalis Cibo die 1. Junii 1680. Cum enim Sanctitati suæ de approbata Majorum doctrina, in Censuris expressa, datis Epistolis Lovanenses gratias egissent, ac de sinistris in ipsos sparvis rumoribus conquesti fuissent; ita Summi Pontificis nomine rescriptis Eminentissimum Princeps.

ILLUSTRES, ET ADMODUM REVE-  
RENDI DOMINI.

Significationibus, quas Sanctitas sua Collegis, ac Deputatis vestris, dum Romæ commorarentur, exhibuit paternæ suæ erga vos, & clarissimam Universitatem vestram voluntatis, novæ semper accedent, qualibet oblata occasione rebus, ac studiis vestris suffragandi. Quam quidem animi propensionem Sanctitas sua nuper quoque ostendit, cum Ipsi Litteras vestras, filialis obsequii, & grati animi plenas, legerem. Quod enim pertinet ad rumores, quos adversus vos a malevolis spargi scribitis, eam de prudentia, ac pietate vestra opinionem gerit Sanctitas sua, ut facile sibi persuadeat, vos Majorum vestrorum exemplo constantes fore in sana, & Catholica doctrina tuenda, illustrandaque; unde obloquentium ora tandem aliquando obstruantur: quorum præterea maledictis filii Christianam benevolentiam rependeritis, Divina adjutricæ gratia fiet, ut dissidentes a vobis eorum animos ad fraternæ charitatis compagem revocetis, & Belgicæ Ecclesie pax, cujus causa laborare vos prohemini, restituatur, & plane solidetur. Id Pontificiæ sollicitudini propositum in primis est, a qua propterea omnem in idipsum operam, & favorem polliceri vobis debetis; sicut conjicere potuistis ex officis, que pro vobis ab injuria tuendis interponere apud Matritensem Aulam non distulit. Interim & læta vobis precatur omnia, & me interprete, amanter Benedicit, quibus opera, atque officia mea ex animo offero. Romæ die 1. Junii 1680.

DD. VII. ad officia, ALDERANUS  
Card. Cibo.

Res paulo attentius conferre sufficit, ut probatas Romæ Belgicæ Censuras, certo colligas ex ea Pontificis nomine scripta Epistola. Traducebantur scilicet Theologi Lovanenses a nonnullis malevolis, quasi qui in Dogmatibus de Divina Gratia a Bajanis, & Janfenianis erroribus non recederent, nec sinceram Innocentii X., & Alexandri VII. Diplomatum præstarent obedientiam. E contra, ut fidei, doctrinæque suæ rationem Apostolicæ Sedi proferrent illi, datis Romæ Epistolis, significarunt, se in dogmatibus de Divina Gratia nihil novi procudere, sed etiamnum eandem doctrinam profiteri, quam Majores sui superiori seculo cum Duacena Facultate Theologica conjunctis animis, concordique consilio, hinc Censuris expresserant.

D 2

Hanc